

www.e-rara.ch

**De mysticis factis, quorum in sanctis scripturis mentio fit: & de
ratione ex eisdem ducendi Anagogas fidei analogiae convenientes,
Theologicae Theses**

Grynaeus, Johann Jakob

[Basileae], [1586]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-5143>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

DE MYSTI-
CIS FACTIS,

QUORUM IN SANCTIS
SCRIPTURIS MENTIO FIT:

& de ratione ex eisdem ducendi Ana-
logas fidei analogiæ conuenientes,
Theologicæ Theses, de qui-
bus, *σὺν Χρυσῳ,*

IOEL UVIRTZIVS, BERNAS,
6. die Octobris, in Theologorum Basili-
ensium Scholis respondebit, auctore
& Præside

IOH. IACOBO GRYNAEO.

A D

Stemmatis, ingenio & virtute No-
bilem, Dn. ANTONIVM A
STREITHORST, gente
Saxonem.

ΝΟ'ΕΙ Α' ΑΕΤΩ.

Considera quæ dico: det igitur tibi Dominus intelligenti-
am in omnibus. 2. Tim. 2. 7.

5 Octob.



HELIOTROPIVM HOMI-
NIS FIDELIS CHRISTVM
assidue respicientis, Sym-
bolum.

CAltha suos ueluti flores expandit ad ortum
Solis: & ad cursus dirigit usq; suos.
Contrahit inuexo rursus sed germine eosdem,
Phœbus ubi fessos æquore mergit equos:
Sic et IUSTITIÆ SOLI mens nescia fraudis
Turbatum pectus pandit anhelæ suum.
Hunc solum sequitur, mundiq; perosa figuram,
Hunc unum uitæ gaudet habere Ducem.
Hoc fulgente capit uitæ sua gaudia: condat
Si radios, miserum nox inimica premit.

I. K. B. S.



VERE NOBILI, DN
ANTONIO A STREITHORST,

S. P. D.

IOHANNES IACOBVS GRYNÆVS.



ALDE delector sententia Monostichi Gregorij Nazianzeni, cognomento Theologi, quo, ad cœlestium & spiritualium rerum contemplationem, quæ per fidem (Verbo Dei à Spiritu Christi cordi inscripto excitatâ) institui debet, pias mentes piè hortatur:

Θυμὲ βλέψον αὐτῶ: χρονίων δ' Ἰππλήθεο πάντων.

Sursum mens spectâ: terrenaq; despice cuncta.

Enimuerò, si nemo simul & semel erectos ad sidera tollere vultus cœlumq; tueri: & interea oculos in terram defigere potest: quî, te quaeso, fieri posset, vt idem Animus hominis, simul & cœlestia & aeterna bona: & terrestria & euania bona, omni contentione, studio omni, desiderioq; tum quærat, tum etiam consequatur?

Vox diuina est: Vbi est thesaurus vester, ibi est & cor vestrum. Matth. 6. 21. Thesaurus autem noster, in patria cœlesti est. Ad hanc ergo nobis per varios casus, per mille pericula rerum tendendum est: & opera danda vt nos tanquam cœlorum municipes, sursum corde sublato, geramus: secundum exhortationem Apostoli: Si re-

A ij surrexistis

*surrexistis cum Christo, superna quærite, ubi Christus est
ad dexteram Dei sedens. Supernæ curate, non terrestria.
Phil. 3. 20. Col. 3. 1. 2.*

*Sedenim, piæ menti non tantum illud mirum videri
debet, quod homini pio ad cœlestia anhelanti, & ea medi-
tanti, tam secundæ res, quæ carnem titillant, quàm ad-
uersæ, quæ eandem pungunt, echeneidum seu remora-
rum loco sunt: sed etiam hæc Sophistica permira videri de-
bet, quod animum non raro ad terram ea deprimunt, quæ
tamen idèo ei diuinitus concessa sunt, vt ab iisdè tanquam
à Mercurialibus statuis & signis minimè fallentibus, ex-
citus, sursum respicere & cœlestia meditari et obtinere,
summo studio habeat. An non autem mirabile vasfra-
mentum Satanae est, ijs ipsis rebus ad animas curuandas
abuti, quæ eisdem erigendis seruire debebant? Idèo autem
non admodum difficile fuit Satanae id quod volebat obti-
nere, quia magnæ parti hominum magis est cordi Corpus,
quàm Animus: terra quàm cælum: corporalis seu cere-
monialis exercitatio, quàm pietas & rationalis cultus: li-
tera, quàm Spiritus.*

*Vulgò Pseudo-Iudeorum persuasum fuit, carnis cir-
cumcisionem, victimas & sanguinem pecudum, sabbathi
externam obseruationem, Leuiticam denique liturgiam,
mereri remissionem peccatorum & æternam vitam. Nec
dissimiles sunt & Pseudo-Christianorū opiniones de Ba-
ptismo, de Cœna Domini. Atqui cordis circumcisio,
Christi*

Christi sacrificium expiatorium, mentis in Deo acquiescentis tranquillitas, obedientia fidei, regeneratio saluandorum & regeneratorum cœlestis alimonia, Signis illis ad Anagogas suas reductis, considerata erant, ex præscripto dicti Apostoli nostri: Nam in Christo Iesu, neque circumcisio quicquam valet, neque præputium: sed fides per charitatem agens. Gal. 5. 6.

Excitati igitur externis signis, prælucente fide & agnitione Mediatoris Christi, qui dux & consummator fidei nostræ est, quid εὐδεν in nobis agat Deus discamus, et spiritualia illius beneficia per fidem intellecta, amplectamur.

Præclare dixit Gregorius: Contemplantes, in terrâ, paleas metunt: in cœlo, panem. Nec tamen, ἀπλως, ea quibus hîc utimur paleas dici putemus: propterea quod in cœlis pane nos frui audimus: sed comparatiue paleas signorum pani rerum significatarum cōferri, nobis persuadeamus.

Valde autem mihi arridet Bernardi dictum: Ad contemplatiuam vitam, actiua via est: modo quis huius & æternæ vitæ architectonicos fines recte discernat. Non vult Deus nos manibus vinctis, armare linguas: ut Nazianzeni illius Gregorij symbolica sententia utar, cuius sententia est: Non vult Deus nos gloriari verbis, Deum nos nosse: iniustis autem factis eundem negare: non vult nos scientiæ rerum diuinarum magnam, conscientia & exercitiorum pietatis nullam habere rationem. Sed quum huius vitæ finis sit actio, & perpesio, vult nos, in Schola

A ij Christi,

Christi, potentes esse dictis & factis sibi gratis. Vult & τὰ μαθήματα nobis esse μαθήματα, vt id in Patientia gymnasio verissimum esse experiamur, quod Philippi Melanchthonis Apophthegma testatur: SCHOLA CRVCIS, SCHOLA LV CIS. Porro, quum aeterna vita praecipuus finis futurus sit, contemplatio, acquiescamus in propitia Dei voluntate: & iam in studio Theologiae, memores simus sententiae Eranistis, quae extat apud Theodoretum: τὰ κεκρυμμένα & δὲ ζήτειν, & δὲ τὰ δὲ δηλωμένα πάντως ἀγνοεῖν. Aspiremus autem ad coelestem consuetudinem cum Filio Dei & omnibus Sanctis, quorum nomina inscripta sunt libro vitae: & desiderio ac spe clari conspectus Dei & liberationis à toto peccato & ab omnibus miserijs, huius vitae arumnas & dolores leniamus.

Ad te nunc venio, Nobilissime STREITHORSTE, ac tibi, coronidis vice, è vetere fortissima Gentis tuae Saxonica historia, nobilis viri dictum, idè propono, vt in virtutum, studiorumq; stadio currenti, vel vnica Chreia, calcar addam: Bonum Nobilitatis hoc est, quod nos à maiorum nobilitate (hac autem virtutum & pietatis splendore coruscat) degenerare non sinat. Oro autem Filium Dei, vt te & totam heroicam Nobilitatem, sancto suo Spiritu regat, vt domi in pace & foris militia: iusticiae, fortitudinis togatae & bellica, temperantiae laude excellens, Dei consilio & Reipub. vtilitati seruiat, ad Dei gloriam. Benè vale.

DE MYSTICIS FACTIS, QUO-
RUM IN DIVINIS SCRIPTURIS
MENTIO FIT, THESES
didascalica.

I.



VUM nihil dubium sit, summam illam & mo-
dis omnibus salutarem de IESU CHRISTO
Sapientiam, quam Catholicæ Ecclesiæ Deus
innotescere voluit, idè à Paulo Apostolo dici
πολυποίκηον, multiformem, Ephes. 3. 10. quòd
licet Rei, id est, CHRISTI crucifixione, vna & sim-
plex ea sit: dispensationis tamen & circumstantiarum respe-
ctu πολυμορφος ea videri potest: ac eo nomine, vnam ean-
demq; Theologiam, erudita Antiquitas distinxerit, in γνω-
ριμωτέρων, quæ illustribus Verbi Dei testimonijs: & in συμβο-
λικών, quæ signis visibilibus constat: Propositum nobis est,
ad hanc potissimum illustrandam, de mysticis FACTIS,
quorum in diuinis Scripturis mentio facta est, ad Dei Opt.
Max. gloriam & nostram institutionem, hac sacra collatio-
ne, placidè conferre.

II. An sit.

Esse aut mystica quædam FACTA, à Spiritu sancto in ve-
teris & noui Fœderis libris tum historicè exposita, tum ad
Anagogen ab ipsomet Spiritu sancto reuocata, euidentissi-
mè colligi poterit, tum ex illustribus exemplis, quæ suo lo-
co bona fide recensebimus: tum ex dictis Pauli Apostoli. 1.
Cor. 10. 6. & 11. Hæc autem typi nostri fuerunt, &c. Hæc
autem omnia typicè euenerunt eis: scripta verò sunt ad no-
stri admonitionem, &c.

Vt enim heroici & ardentis Spiritus facta quædam ad-
miranda sunt: vt testantur exempla, Moïsis, Exod. 2. 12. Act.
7. 25. & Phinees. Num. 25. 7. Psal. 106. 30. 31. vt etiam signa
quædam sunt temporum, pijs diligenter obseruanda, Matt.
16. 3. ita quoque sunt & mystica quædam facta, de quorum
iusta

iusta æstimatione nunc quidem nobis agendum est.

III. *Quid sit.*

Myſtica facta dicimus, illa *μεγαλὰ τῷ θεῷ*, magnifica Dei opera, quæ interdum etiam creaturarum quarundam ministerio adhibito, ipse præstat, ut se Seruatorem suis adesse, se solum omnium corporalium & spiritualium bonorū & beneficiorum auctorem, malorumq; tum vindicē, tum depulſorē esse, & omnia ex consilio voluntatis suæ efficere, ostendat. Act. 2. 11. 1. Cor. 3. 9. Psal. 24. 1. Iac. 1. 17. 1. Iohan. 3. 8. Eph. 1. 11.

IIII. *Quotuplicia sint Facta mystica.*

Trium autem generū illa facta esse, nemo pius & rerum diuinarum intelligens, non videt. Quædam enim fuerūt aut sunt Ordinaria & perpetua. Quædam autem Temporaria & quandoque miraculosa. Quædam deniq; media sunt aut fuerunt.

Primi generis sunt Sacrificia, quæ *λόγους*, dationis: & Sacramenta quæ tum *λύγους*, acceptionis, tum obſignationis (sunt enim *σφραγίδες*, sigilla iusticiæ fidei, Rom. 4. 11.) rationem obtinent.

Hæc autē secundū duo Testamēta discernuntur, IN VETERA Sacrificia & Sacramenta, quæ in vsu esse oportuit vsq; ad tempora correctionis, Hebr. 9. 10. & IN NOVA, quæ nobis sunt seu offerenda, seu vsurpanda, donec veniat Dominus. Rom. 12. 1. 1. Cor. 11. 26.

Secundi generis sunt, Immolatio Isaaci, Gen. 22. Benedictio Ephraim & Manasse decussatim Iacobi brachijs admotis & manibus impositis. Gen. 47. Serpens æneus. Num. 21. & alia.

Medij generis ea sunt, quæ & Sacramentorum, sed temporaneorum, rationem habuerunt, ut Transitus per Mare rubrum, & similia quædam. Ac de duobus posterioribus generibus, hac dissertatione potissimū agemus.

V. *Αἶπον κύριον.*

Auctor factorū istorum mysticorum est Dominus Deus noster. Psal. 72. 18. Benedictus Iehouah Deus, Deus, inquam, Israel, faciens mirabilia solus, Psal. 59. 3. Quia Deus magnus est Ie-

est Iehouah : & Rex magnus super omnes deos . Qui ergo magnus est , magna quoque præstat . Ex eo , per eum , & in ipsum sunt omnia . Rom. 11. 36.

VI. *Συμφορῶν.*

Dei autem cooperarii fuerunt & sunt sancti Dei homines, quibus ea lege factorum mysticorum administratio tribuitur, ut tamen virtus & gloria omnis soli Deo accepta feratur. Moſen sanè virga feriendo, nec mare rubrum diuidere, nec è durissima petra aquam educere potuisse, quis tandem ambigat?

VII. *Finis 2. cuius.*

Vt manifestum fiat, vnus Dei omnipotenti & benefica virtute, ea omnia nobis præstari, quæ & ad hanc vitâ tuendâ, & ad æternam salutem consequendam faciunt, idè is ipse & vſitato more agens, suam erga nos bonitatem cumulatiſſimè declarat & exercet: & mystica facta edēs, euincit sibi vni omnem gloriam deberi. Deus noster est in cœlo, & omnia quæ voluit fecit. Psal. 115. 3. Omnia operatus est Iehouah propter seipsum: & etiam impium ad diem malum. Prou. 16. 4.

VIII. *Finis 3. cui.*

Homines autem pii, in sui gratiâ, mystica & salutaria illa facta, diuinitus esse præstita, experti sunt: eoq; nomine crediderunt Deo, & Seruos eius agnouerunt, & venerati sunt. Vidiſſet Israel manum magnam quam fecit Iehouah in Ægyptios, timuitq; populus Iehouam: crediderunt autem Iehouæ, & Moſi seruo eius. Exod. 14. 31. Enimuerò si nos homines sumus quodammodo finis rerum, ut verè pronunciauit Aristot. Phys. 2. quis ambigat facta illa mystica, de quibus nunc differimus, hominum piorum vſibus destinata esse?

IX. *Materia.*

Multiplex materia circa quam mystica illa facta declarata fuerunt, paulo pòſt exemplis in medium adductis, cognosci poterit. Idè satis nunc fuerit illud indicasse, Omnes creaturas Conditoris nutum præſtolari; eiusq; consilio & operibus seruire, qui sedet super sphæram terræ & habitatores eius sunt tanquam locustæ, Isa. 40. 22.

B

X. *Forma.*

X. *Forma.*

Vniuscuiusq; facti mystici peculiaris quædam forma fuit. Cæterum quum iam non simpliciter, sed relatiuè, *ἁπλοῦς*, de ijs agamus, hunc Canonem, recensionem Exemplorum, tanquam auream Basim, substernimus.

Typicus intellectus factorum mysticorum, illustri analogia, & quæ normæ fidei ad amussim quadret, constare debet.

Vt intelligatur Canon, meminerint piæ mentes, in omnibus Factis mysticis Fundamenti, Termini & Relationis accuratam rationem sibi esse habendam, vt rectè ducantur Anagogæ. Harum aliquot illustria exempla in medium adducemus: cætera aliorum piorum diligentia inuestiganda, relinquentes.

XI. *ISAACI IMMOLATIO.*

Historia de immolatione Isaaci, à Mose exposita extat Gen. 22. Sed Anagogè exposuit Paulus his verbis: Abraham quum tètaretur, obtulit Isaac filium per fidem, vnigenitū, inquam, illū obtulit is qui promissiones exceperat. Hebr. 11. 17.

Fundamentum Facti mystici erat, ipsa Isaaci oblatio.

Terminus erat, eo ipso facto obedientiam fidei Deo probare.

Inter hæc Relatio erat, ordinatam esse oblationem istam ad hunc finem, vt in re & facto omnium difficillimo, & cui paterna *προνομία* valdè aduersabatur, Abrahæ fides & obedientia explorarentur. Viscerici enim fide naturæ infirmitates, & etiam ordinatos affectus superauit Abraham.

XII. *IACOB Nepotibus benedicens.*

Genesis 48. cap. v. 14. Iacob benedicens Ephraimo & Manasse, decussatim prolatis brachijs, manus eis imposuit.

Anagogen in Iosephi filij, gratiam Iacob exposuit, versu 19. Renuit verò Pater eius dicens: Noui fili mi, noui, etiam iste (Manasses primogenitus) euadet in populum, etiam iste magnus erit: veruntamē frater eius (natu) minor (Ephraim) maior erit eo, & semen illius erit magna multitudo Gentium.

Fundamentum erat impositio manuum, per decussatim prolata

prolata brachia, sic vt dextera secundogeniti Ephraimi, sinistra verò primogeniti Manassis, capiti imponeretur.

Terminus erat significatum, videlicet Ephraimum numero & potentia, & gloria posterorum longè superiorem fore fratre Manasse.

Inter hæc Relatio erat, hûc positum manuum ordinatum esse ad declarandam posterorum sortem dissimilem, quam hætenus ad Maiores pertinere, non est obscurum. Ceterum quid de hac quæstione & Aristoteli sit visum, liquet ex cap. 11. lib. 1. Ethic. ad Nicomachum.

XIII. *ASPERSIO Sanguinis ad limina.*

Exod. 12. 22. 23. Accipietis, ait Moses ad Israelitas, fasciculū hyssopi, & intingetis sanguine qui erit in vase: & applicabitis super-liminari & ambobus postibus de sanguine qui fuerit in vase: vos verò non egrediemini quisq; ex ostio domus suæ vsq; mane. Et transibit Iehonah ad percutiendam Ægyptum: quumq; viderit sanguinem in super-liminari & in ambobus postibus, transiliet Iehouah iuxta ostium, neq; permittet vultatorem ingredi domos vestras ad percutiendum.

Eandem Anagogen & Paulus explicuit, dicens: Per fidem peregit Pascha, & affusionem illam sanguinis, ne, qui perimebat primogenita, ipsos tangeret. Hebr. 11. 28.

Fundamentum erat, affusio sanguinis Agni ad super-liminare & postes ostij domus.

Terminus erat, Significare, parcendum esse primogenitis qui in illis ædibus erant: nec perinde vt Ægyptiorum primogenitos occidendos.

Inter hæc Relatio erat, hac aspersione, ceu signo, testari, neminem in illis ædibus occidendum esse. Sic nemo eorum, qui sanguine agni Dei tollentis peccatum mundi, aspersi sunt, obnoxius est morti æternæ.

XIV. *TRANSITVS per mare rubrum.*

Exodi 14. extat historia de Israelitarum transitu per mare rubrum, & de Ægyptijs, qui illos vnà cum Rege suo persequerentur, vndis marinis submersis & suffocatis.

Anagogen indicauit Paulus diuersis locis. 1. Cor. 10. 1. 2.

B ij Nolim

Nolim autē vos ignorare, fratres, Patres nostros omnes sub illa nube fuisse, & omnes per mare transiisse: & omnes in Mosen baptizatos fuisse nube & Mari. Hebr. 11. 29. Per fidem transferunt rubrum mare veluti per siccam terram: cuius facto periculo Ægyptij, absorpti sunt.

Fundamentum erat, Transire per mare, tanquam per siccam terram: & quidem inter sublimes & tumentes aquarum cumulos.

Terminus erat, testari fidem erga Deum piorum Seruatorem, hostium depulsorem: ac intueri Carnis mortificationem & Spiritus viuificationem, quorum duorum Baptismus sacramentum est.

Inter hæc duo Relatio est, hæc omnia ordinata esse, ad significanda illa ingentia Dei beneficia, quæ sunt Conseruatio piorum, quando hi in acie nouaculæ, hoc est, in summo discrimine vitæ, cōstituti sunt. Interitus hostium populi Dei. Viuificatio Spiritus. Mortificatio Carnis.

XV. *LIGNVM in aquas amaras coniectum.*

Et historiam de hoc Facto mystico, & eiusdem facti Anagogem, descripsit Moses hisce verbis: Quum autem deuenissent Israelitæ in Marah, non poterant bibere aquas de Marah, quia amaræ erant: idcirco vocauit nomen eius Marah. Propterea murmurabat populus contra Mosen, dicendo, Quid bibemus? Clamauit autem ad Iehouam; & docuit illum Iehouah lignum, quod proiecit in aquas, & dulcuerunt aquæ. ibi posuit ei statutum & iudicium, ibiq; tentauit eum, & dixit: Si verè obedieris voci Iehouæ Dei tui, & rectum in oculis eius feceris, & aures præbueris statutis eius: vniuersum morbum quem posui in Ægypto, non ponam super te: quia ego Iehouah sanans te. Exod. 15. 23. &c.

Fundamentum erat proiectio illius ligni diuinitus monstrati, in amaras illas aquas, & quidem per fidem peracta.

Terminus erat, vt hæ diuina, non autem illius ligni, virtute dulces fierent: & populus per fidem Dei medicam manum obtineret, & expers esset languorum Ægypti.

Inter hæc Relatio erat, auctoritate diuina, per fidem ad illud

illud Dei beneficiū significandum, lignū in aquas projicere.

XVI. *Percussio maris.*

Exod. 14. 16. 21. Mose virgam suam extendente super mare, recedere fecit Iehouah, mare vento Orientali vehementi tota nocte, vt peruium esset Israelitis.

Fundamentum Facti mystici erat, eleuatio virgæ Moſis super mare: quæ per se nihil magnum potuit efficere.

Terminus, maris diuisio & viæ exsiccatio.

Inter hæc Relatio erat, hoc gestu & facto significare, Deo omnipotenti facile esse, suis laborantibus omnia impedimenta salutis & incolumitatis submouere: etiam alioquin inuia loca reddere peruia & tuta.

XVII. *MANNA.*

Historiam de Manna, seu pane qui cœlitus Israelitis subministratus fuit, prolixè descripsit Moſes Exod. 16.

Anagogem exposuit Christus Iesus Dominus noster Ioan. 6. 32. Amen, amen dico vobis, non dedit vobis Moſes panem illum cœlestem: sed Pater meus dat vobis panem illum verè cœlestem. 58. Hic est panis ille qui de cœlo descendit: non prout Patres vestri comederunt Manna, & mortui sunt. qui edirit hunc panem viuere in æternum. 1. Cor. 10. 3. Et omnes eandem escam spiritualem ederunt.

Fundamentum erat, Manducare Mannam.

Terminus erat, per fidem intelligere, cibo terreno Corpora: cibo cœlesti (Agni videlicet illius, mastati iam inde à iactis mundi fundamentis, carne) Animas fideles, verè ali & refici.

Inter hæc Relatio erat, hanc Mannæ manducationem, (si sacramentalem eius vsum spectes) ordinatam esse ad significandam spiritualem illam carnis Christi manducationem, quæ fit per fidem, quæ docet, vt Manna ore, sic Christum fidei corde percipi: illam quidem corporaliter, hunc verò spiritualiter.

XVIII. *Percussio petre vt daret aquam.*

Moſes mandatu Dei eleuauit manum suam, percussitq; sua virga petrâ duabus vicibus, tunc egressæ sunt aquæ mul-

tæ, & bibit congregatio ac iumenta eorum. Num. 20. 11.

Anagogem exposuit Paulus 1. Cor. 10. 4. Et omnes eundem potum spiritualement biberunt. Bibebant enim ex sequente spirituali Petra. Petra autem erat Christus.

Fundamentum mystici Facti erat percussio petrae adhibita virga, quæ cum fide peragenda fuerat.

Terminus, vt significaretur primum è durissima petra, Dei omnipotentia, aquas proliciendas: deinde, viuis illis Christi Iesu aquis, salientibus in vitam eternam, nos reficiendos esse.

Inter hæc Relatio erat, hoc ritu ostendere, & Deo facillimum esse è petra aquam, è lapidibus panes, nobis alendis, educere & efficere: & Christum coelestem nostram alimoniam esse, quam fide sola percipimus.

XIX. *Serpens æneus.*

Vt resipiscentibus Israelitis non deesset antidotum aduersus morsus serpentum ignitorum, dixit Iehouah ad Moysen: Fac tibi ignitum serpentem, & pone eum super vexillum, & erit quicumque morsus fuerit, & aspexerit illum, tum viuet. Num. 21. 8.

Anagogem exposuit D. IESVS., Ioan. 3. 14. 15. Prout Moyses extulit Serpentem in deserto, ita extolli oportet Filium hominis: vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.

Fundamentum erat, exaltatio ænei Serpentis supra vexillum.

Terminus hoc facto significare, veritatis de CHRISTO crucifixo vexillum, præconio docentium Euangelium, in sublime attollendum, vt ad illud gentes confluant, iuxta oraculum, Isa. 10. Et erit in die illa, illam Isai radicem, quæ stabit in vexillum populorum, Gentes requirent, &c.

Inter hæc Relatio erat, hac Serpentis exaltatione testari, non solum istos læsos à Serpentibus ignitis, & æneum hunc inuentus, sanandos esse medica Dei manu, sed etiam Christum crucifixum præconio pie docentium, exaltandum esse, & ad eius Signum milites Christianos vocandos, vt in sacramenti verba iurantes, eidem vni postea militent.

Accedit

Accedit & alia Anagoge: Vt vetus ille Serpens Satan, nos omnes lethali & venenato peccati morfu læsit. Ita Christus in crucis ara exaltatus, nos sanauit, & venenum illud abstulit, & nos *o vas vniuersi* concorpores factos, sibi iunxit. 1. Pet. 2. 24. Qui peccata nostra pertulit in suo corpore, super lignum: vt peccatis mortui, iusticiæ viueremus: cuius vibicibus sanati estis. Ioan. 12. 32. Et ego si sublatu fuerò è terra, omnes traham ad me.

XX. *Ossa Ioseph.*

Israelitæ ex Ægypto discedentes, ossa Iosephi secum, ita vt ille præceperat, asportarunt, & tandem in Sichem terræ mandarunt. Gen. 50. 25. Exod. 13. 19. Ios. 24. 32.

Fundamentum erat ossium, religiosa, non superstitiosa deportatio, & demum sepultura.

Terminus erat, hoc facto testari fidem & spem, cuius quæ fuerit basis testatur oraculum: Certè visitabit vos Deus, & ascendere facietis ossa mea hinc vobiscum.

Inter hæc Relatio erat eo facto, non solum voluntati priorem piè defuncti Iosephi officiosè satisfacere, sed etiam fidei & spei eius iustum testimonium perhibere.

Hanc Anagogem tradidit Paulus Heb. 11. 22. Per fidem, Ioseph moriens de egressione filiorum Israel meminit, deq; ossibus suis mandauit. Discimus autem hoc loco, Reliquias Sanctorum non esse prostituendas ad cultum: sed suo quaque loco habendas, citra ludibrium, & citra superstitiosum cultum. Ossa sanè humana terræ mandanda sunt; non autem nundinationis gratia circumgestanda.

XXI. *COLUMNÆ Nubis. & Columna Ignis.*

Exod. 13. 21. 22. Et Iehouah præcedebat Israelitis interdiu in columna Nubis, vt deduceret eos per viam: noctu verò in columna Ignis, vt luceret eis: vt ambularet diu & noctu. Nō abstulit columnam Nubis interdiu, neque columnam Ignis noctu antè populum.

Anagogem Paulus exposuit, 1. Cor. 10. 1. 2. Nolim autem vos ignorare fratres, Patres nostros omnes sub illa nube fuisse, & omnes per mare transiuisse: & omnes in Mosem baptizatos esse nube & mari,

Funda-

Fundamentum erat, versari interdiu sub nubis, noctu autem sub ignis columna.

Terminus erat, vt ea re commonefacti fideles, statuerēt, Deum omnipotenti suo vmbraculo suos ab cōstu nimio Solis & afflictionibus tueri. Psal. 121. 5. 6. Iehouah est custos tuus: Iehouah est vmbra tua: est ad manū dexterā tuā. Interdiu Sol nō vret te: neq; Luna nocte. Deū etiā illis vig, vitæq; totius ducē esse. Deum eos baptizare Spiritus sancti & ignis baptismo. Matth. 3. 11. Baptismum spiritualem fidelibus vtriusq; fœderis communem esse: sicut & Cordis Circumcisio vtriusq; communis est. Col. 2. 11. 12.

XXII. *Periodus Israelitarum circa Ierichuntem.*

Historia de amburbia Ierichūtis circuitione, & de Tubarum clangore, lac de ruina mœniorum, extat Iosue 6. cap.

Anagoge ex parte ita declarata est à Paulo Heb. 11. 30. vt tota quoq; à pijs cognosci possit. Per fidem, ait Apostolus, mœnia Iericho conciderunt, quum ea circuiuissent ad dies septem.

Fundamentum erat, per septiduum obambulare, nō sine solemni apparatu, tādē etiā clangorem Tubarū adhibere.

Terminus autē erat, hoc pacto ex Dei præscripto agendo, probare obedientiā fidei, et testari spem de expugnāda vrbe.

Inter hæc Relatio erat, hoc ritu & incessu testari, futurum, vt diuino nutu deiectis & solo æquatis mœnibus, vrbs Iericho in potestatem Israelitarum, perueniret.

Significatum autem est & istud, buccinæ Euangelij clangore, Iericho huius mundi subuertendam, sed Dei virtute: vt Ecclesia post longam & periculofam militiam, tandem in cœlesti patria triumphet.

XXIII. *Elia trina expansio super mortuum puerum.*

1. Reg. 17. 20. 21. 22. Elias clamauit ad Iehouam, ac dixit: Iehouah Deus mi, etiam ne viduam apud quam habito afflixisti, interficiendo filium eius? Et ad mensus est sese super puerum tribus vicibus, clamauitq; ad Iehouam, & dixit: Iehouah Deus mi, reuertatur quæso anima pueri huius in interiora eius. Et exaudiuit Iehouah vocem Eliæ, reuersaq; est anima

anima pueri in interiora eius, & reuixit. Similis de Elisæ historia extat 2.Reg.4. De similibus autem idē est iudicium.

Anagoge declaratur Hebr.11.35. Mulieres acceperunt (scilicet per fidem) ex resurrectione mortuos suos.

Fundamentum erant, non tantum ritus illi, qui dissimiles fuerunt, sed etiam ardentissimæ fidei preces.

Terminus, ut resuscitaretur illi mortui, & quisq; suæ Matri rediuius restitueretur, à Deo q̄ solus viuificat mortuos.

Inter illa fuit Relatio, hos ritus & has ad Iehouâ preces adhibere, ad repræsentandâ & impetrandâ resurrectionem mortuorū. Nemo hominū & Angelorū mortuos resuscitare potest. Idē Dominus Iesus inter alia Deitatis suæ argumēta hoc adducit, quod mortuos resuscitaturus sit. Ioan.5.28.29.

XXIIII. *Amarum pulmentum dulce redditum.*

2.Reg.4.39.40.41. Historia sacra testatur Colocynthidas agrestes in ollam conscissas, pulcem mortiferam Prophetarum filijs exhibuisse, quæ infusa Elisæi mandatu farina, salubris & dulcis est reddita.

Anagoge huius & similium factorum declaratur his verbis D. nostri Iesu Christi: Serpētes tollent, si quid lethale biberint, nequaquam nocebit eis. Marc.16.18.

Fundamentū erat farinę in ollam pulmentariā inpersio.

Terminus, hac re & hoc ritu testari, Condito rem rerum etiam noxia permutare posse in salubria & accommodata vñibus hominum.

Quæ inter hæc Relatio fuerit, non iam est obscurum.

XXV. *Naamanis lauacrum.*

Elisæus, Naamano petenti ut à lepra purgaretur, iniunxit, ut septies in Iordane sese lauaret. 2.Reg.5.10.

Fundamentum erat septena lotio in Iordane.

Terminus significatū, videlicet à lepra emundandū esse.

Relatio, hoc ritu testari emundationem à lepra diuinitus obtineri, & quidem ab homine Syro, qui multis Israelitis, æquiuocē sic dīctis, prælatus fuit. Luc.4.27.

Nos à peccati lepra spirituali, abluimur, non lustrali aliqua aqua: sed sanguine Christi. 1. Ioan.1.7. Sanguis Iesu Chri

C sti filij

Et filij Dei purgat nos ab omni peccato.

XXVI. *ISAIÆ Factum mysticum.*

Existimo huc quoq; facere & Facta mystica, quæ in visione & ἐμφάνει, Deo decernente, peracta sunt. Horum aliquot exempla recensebo.

Isa. 6. 6. 7. 8. Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius erat carbo ignitus, quem forcipibus tulerat de altari. Et tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit labia tua, & auferet iniquitatem tuam, ac peccatum tuum expiabitur. Et audiui vocem Domini, dicentis: Quem mittam? & quis ibit nobis? Tunc dixi: Ecce ego, mitte me.

Fundamentum erat, prunæ ad os Isaiaæ admotio.

Terminus, significatū, videlicet Spiritus sancti igne Prophetam lustrandum, accendendum, donum eloquentiæ eidem conferendum, & verbum Iehouæ ponendum in ore eius, vt Prophetam Iehouæ possit agere.

Inter hæc duo Relatio erat. Vtinam autem illustri exemplo sancti Prophetæ Iesaiaæ admonita Iuuentus, non prius ad docendū in Ecclesia accedat, quàm se & legitimè vocatā, & à Christo necessarijs & salutaribus donis Spiritus sancti instructam esse, intelligat.

XXVII. *Ezechiel volumen comedens.*

Cap. 3. 2. 3. 4. Ezechielis dicitur: Aperui igitur os meum, & comedere fecit me volumen illud. Dixitq; ad me: Fili hominis, ventrē tuū comedere fac, & viscera tua imple volumine isto quod do tibi. & comede illud, & fuit in ore me sicut mel præ dulcedine. Et dixit ad me: Fili hominis, vade, ingredi ad domū Israel, & loquere in verbo meo ad eos, &c.

Fundamentum erat, Manducare volumen, & pasci verbo Dei: sed in visione quæ quum diuinitus Prophetæ oblata sit, non est cur, atheorum hominum opinione, parui fiat.

Terminus erat, Sensibus imis reponere illa Dei oracula, quæ exulibus in Babylone erant proponenda & inculcanda.

Inter hæc Relatio erat: quæ declaratur eodem cap. 5. v. 11. 12. Et dixit ad me: Fili hominis, omnia verba mea quæ loquar ad te, excipe in cor tuum, & auribus tuis audi. Et vade, & in-

& ingredere ad Transmigrationem, ad filios scilicet populi tui, & loquere ad eos, & dic eis: Sic dicit Dominus, si audierint, & si cessauerint. Et sustulit me Spiritus, & audiui post me vocem magnæ commotionis (dicentem) Benedicta gloria Iehouæ (discedentis) de loco suo.

XXVIII. *Representatio obsidionis urbis sanctæ, et dispar decubitus Ezechielis.*

Quum multi inter exules Babylone versantes, verba sibi dari à Pseudopropheta pateretur, & dolenter ferrent, quòd Ieremiæ Prophetæ consilium sequuti, deditionem fecisset, & cum Iechonia Rege sese abduci passi essent, necin animū inducere possent excidendam urbem Ierolimam: iussu est ore Iehouæ, ut urbem latere describeret Ezechiel, depingeret eius obsidionem: ac ut decubitu super latus sinistrum, quum essent portandæ iniquitates domus Israel 390. dies, qui totidē annos significabant: deinde decubitu super latus dexterum, quum essent portandæ iniquitates domus Iuda 40. dies: denique, ut de admodum tenui victu sibi prospiceret: ac famem horrendam, & alia mala, quibus laborandum esset Ierolimitanis obsessis, his rationibus, repræsentaret. Habentur hæc Ezech. 4.

Myfici istius Facti fundamentum erant, certi illi ritus, & res quæ adhibendæ erant, forma decubitus, &c.

Terminus erat, significare obsidionem & excidium urbis Ierusalem, famem qua obsessis laborandum foret.

XXIX. *Visio ossium humanorum.*

Ezechielis cap. 37. descripta extat visio de Ossibus humanis, carnibus & partibus homogeneis & heterogeneis diuina virtute vestitis, & de mortuorum illorum resuscitatione & viuificatione.

Fundamentum Facti, quod in illa visione geri videbatur, erant, Ossa humana, vestita carne, & obducta cute.

Terminus erat, significatum, videlicet Deo perfacile esse ut mortuos resuscitare, ita quòq; exacto 70. anno deportationis Babylonicæ, Iudæos exules in patriam Iudæam, reducendos curare.

Inter hæc relatio erat, ordinatum esse hoc spectaculum ad repræsentandam reductionem populi Dei in patriam; & ad præfigurandam eiusdem restitutionem in integrum, quæ perfacilis ei erat, de quo dicitur: Deus viuificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt, tanquam sint. Rom. 4. 17.

XXX. *Unctio ab Apostolis usurpata.*

Medicam, non tamen citra miraculi interuentum, inunctionem ab Apostolis, & alijs Sanctis in primitiua Ecclesia, in gratiam ægrotantium, adhibitam quandoque fuisse, hæc dicta testantur.

Marc. 6. 13. Et dæmonia multa eiiciebant, vngiebantque oleo multos ægrotos, & sanabant eos.

Iac. 5. 14. Infirmatur quis inter vos? accersat presbyteros Ecclesiæ, & orent pro eo, vngentes eum oleo in nomine Domini.

Fundamentum mystici illius facti erat, Oleum & eius inunctio, facta in nomine Domini.

Terminus erat significatum, videlicet, efficace & viuifico Spiritus sancti balsamo sanari ægrotum.

Inter hæc erat Relatio, videlicet hunc ritum usurpari vnâ cum precibus ex fide, ad testificandum de præsentia & salutarî efficacitate Spiritus sancti, per quam Deus nos sanat, de quo dicitur: Ego Iehouah sanans te. Exod. 15. 26.

XXXI. *Cæco visus concessus.*

Cæci nati oculis illeuit D. n. IESVS CHRISTVS lutum, & dixit ei: Vade, laua in piscina Siloam. Abiit ergo, & lauit, redijtque videns. Ioan. 9. 7.

Facti huius mystici fundamentum erant, lutum, quo oculi obliniti sunt: item, inunctio & lotio oculorum.

Terminus erat significatum, videlicet abstergendam esse caliginem illam, quæ oculos occupauerat, & hos luce collustrandos, vt qui cæcus antea fuerat, ad Dei gloriam cernendi facultate postea valeret.

XXXII. *Baptismus.*

Etsi autem fatemur, interesse inter temporaria illa, & inter nostra ordinaria ac perpetua militantis Ecclesiæ Facta mystica;

mystica : tamen & de his quædam eodem illo modo dici possunt.

Baptismi (ait Philippus Melanchthon, cuius benedicta apud pios memoria est) fundamentum est tota actio, id est, merito & pronuntiatio verborum, in qua Dei nomen inuocatur, & fit testificatio, recipi à Deo hunc hominem, qui in terea mergitur.

Terminus est significatum, videlicet remitti peccata, & tanquam ablui sanguine Filij Dei.

Inter hæc relatio est, hanc totam actionem ordinatam esse ad significandam remissionem peccatorum. Hactenus Melanchthon.

XXXIII. *Eucharistia.*

1. Corinth. 10. 16. 17. dicitur: Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nonne communio corporis Christi est? Quoniam unus panis unum corpus multi sumus: nam omnes vnus panis sumus participes.

Fundamentum Eucharistiæ est actio tum Ministrorum, tum Cœna vtentium, & res quæ adhibetur ac percipiuntur, videlicet Panis Domini & Vinum Domini.

Terminus est Mortem Domini annunciare, qui animas nostras & redemit, & ad vitam æternam alit, carne sua pro nobis tradita, & sanguine suo pro nobis fuso: atque ita nosrum sibi ipsi, tanquã capiti, tum cæteris fidelibus, velut eiusdem mystici corporis membris, per vinculum vnus eiusdemque Spiritus copulat.

Inter hæc relatio est significatum, & quidem multiplex, videlicet, hac fractione panis, mortem Domini, qua redempti sumus, repræsentari: hac manducatione, hoc potu, certò significari, tam certò per fidem percipi Corpus & Sanguinem Christi, atque his cœlestibus donis ad vitam æternam pasci regeneratorum hominum animas: quàm certum est, quemque pium Cœna vtentem, vesci illo pane, & bibere illud vinum: hoc etiam vnus eiusdemque panis fracti & distributi esse significari, vnum panem, vnum corpus Christi mysticum

nos esse, ac proinde concorpores nos acueri debere ad charitatem & bona opera.

XXXIV.

Poterant hæc exemplis multiplicis illius Leuiticæ liturgiæ, ac inprimis Sacrificiorum & Sacramentorum veteris Testamenti illustrari: sed quia & adducta exempla satisfacere possunt veritatis studiosis, & breuitatis ratio nobis habenda est, consultò illa omnia omittimus.

XXXV.

Pugnant autem cum pia, de mysticis Factis ad Anagogem reducendis, doctrina, è diametro ea omnia, quæ subiungimus.

1. Epicureus eiusmodi factorum contemptus, qui in Deum eorum auctorem est contumeliosus.

2. Superstitiosa eorundem admiratio, quæ parit *ναυγυλίσαι*. Ut olim multi citra Dei mandatum, ut Abrahamum imitari viderentur, paruulos suos Moleco, seu Saturno offerebant & cremabant.

3. Inscitia, quæ visibilibus signis absolutè ea tribuit, quæ virtuti & gratiæ diuinæ erant tribuenda. Sic olim multi opinati sunt, Sacrificia & Sacramenta iustificandi vim habere: quum Deus vnus is sit, qui iustificat: Rom. 3. 30. & qui solus verè dicit: Ego, ego sum qui deleo preuaricationes tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Isa. 43. 25.

4. Inscitia Stoica, quæ quum non intelligat, Deum esse agens liberrimum, putat Deum non posse aliter agere quàm causæ secundæ ferunt. Atqui Deus aliàs mediatè & ordinariè agit, aliàs immediatè agit: & omnia quæ vult, efficit. Psalm. 115. 3.

Non Deus est numen Parcarum carcere clausum,

Quale putabatur Stoicus esse Deus.

Ipse potest Solis currus inhibere uolantes:

Ipse uelut scopulos flumina stare iubet.

5. Stulticia, quam fugit tam in vñtatis operibus & beneficijs naturæ, quàm in Factis mysticis, Creaturas per se, ne quidem tantillum præstare posse, citra diuinam gratiam, virtutem & benedictionem.

. Omnium

XXXVI.

Omniū eorū, quæ hactenus dicta sunt, scopus est. 1. Quum Deus noster solus, omnia in omnibus, secundū propositum voluntatis suæ agat & perficiat, ut tam huic nostræ vitæ, quàm æternæ nostræ saluti consulat, ab eo vno in omnibus nos pendere, & ei soli omnem gloriam tribuere conuenit. 2. Quodd autem seu hominū, seu aliarum quoque creaturarū, seu utrorūq; ministerium, ad opera quædam peragenda, adhibet Dominus, nequaquam eo nomine facit ut commodius illa perficiat, multoq; minus ne sint remoræ ipsius operum: sed ut nos homines, aliasq; Creaturas, cohonestet, suæq; bonitatis tantò plenius participes efficiat: quādo nouit se mediātē agentem naturam nostram honorare & exhilarare. Deo gloria.

Per scriptum Basileæ, 1568. 26. Septembris, quo die olim Nehemias, absolutis mœnibus vr̄bis Ierosolymæ, festum solemne egit, in memoriam diuinæ protectionis. Quum enim Iudæi post reditū è Babylone annos 92. Ierosolymę, ut in pago, inter infestissimos vicinos vixissent, & experti essent, Iehouam esse murum igneum in circuitu timentium se: hunc diem festum egerunt, Anno ante Christum natum 444. Quum autem & nos præsidij humani destituamur, oremus Deum ut ipse sit perfugium nostrum.

